



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Exercitium pro confidentiâ in deo excitandâ in scrupulis & adversis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

Quintò, ad pacem etiam conducit alterius quietem non turbare, ut Albert. c. 13. de pace.

Sextò, alienis te rebus ac muneribus nequaquam immisce; neque de iis percunctare, aut sermones temerè admitte, maxime de novis, quòd spe metuque animum agitare ista solita sunt imperfectorum. *Curiositatē vita.*

Septimò, similiter respectus humanos contemne, cogitando te Deo servire, & ab eo mercedem expectare & non ab hominibus.

Octavò, mutatio locorum crebra, exercitiorum, librorum, quieti obsunt plurimùm, uti & citò credere: quia is levis est corde, Sapientis testimonio. denique quamdiu irresignatus eris, quietem non inuenies. *Mutatio crebra per- turbat.* *Dignatus es, ut sup. pag. 10.*

Exercitium pro confidentiâ in Deo excitandâ in scrupulis, & adversis.

UM pacē animæ scrupulositas vehemēter turbet, ei sedulò resistēdū consilio, exercitatione, &c. animusq; erigēdus in Deū, ideo hæc subnecto. *Sancti tui Domine mirabile cōsecuti sunt iter servientes preceptis tuis. Quid enim mirabilius, quā transire per medios fluctus & effugere gladium Pharaonis? quid mirabilius, quā te dicere mari, tace & obmutescere, & in tempestate fieri tranquillitatem magnam; in tentationibus plurimis facere proventum? etiamsi exsurgant castra, potestatem tenebrarum harum non timere? mirabilia opera tua & anima mea cognoscet nimis. Sed eheu ecce circumdederunt me inimici mei, veni in altitudinem maris & tempestas demergit me, sed cum nesciam quid agere debeam, hoc solum habeo residui, ut oculos meos convertam ad te, & poterisne Deus totius consolationis, avertere faciem tuam à me, ut similis sim descendenti- bus in lacum? quid proderit tibi si perdas me opus manuum tuarum? & bonitas infinita Deus meus, tu neminem vis perire, nec delectaris in perditione viuorum. O quoties hortatus me es ut considerem in te, ecce clamat Psalter tuus & ait mihi; Spera in Domino & fac bonitatem: sed unde hoc mihi ut faciam eam infelix homo, cuius promissum sensus ad malum ab adolescentiâ suâ: sed rursus intonat, & erigit me dicens, spera in eo & ipse faciet; fac igitur Domine, ut omnem fiduciam in te solo ponam; fac tu quæso bonitatem, quia bonus es: fac misericordiam cum misero servulo tuo, quia misericors es, & beatum me facies & misericordias tuas in æternum cantabo. Beatus enim omnes qui confidunt in te: & beatus vir cuius est auxilium abs te, beata Anima qua tales ascensiones in corde suo disposuit, in hac valle lacrymarum, ascensiones quibus ascendat super altitudinem*

Sff

terra

terra super omnes Angelos, super omnes calos, & accedat ad te & proiciat se in te, & complectatur te, quoniam bonus, quoniam in sacculum misericordia tua, & bonitas tua super omnia opera tua. Non enim unquam amas & deseris, non vocas, & repelles; non invitas, & dimittis inanes, non jubes nos inniti tibi, & subtrahis te ut irideant nos inimici nostri dicentes. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum: vel ne quis ut ille improbus, petat, Quis est qui vos eripiat de manu mea; tu enim veritas es Deus meus, & bonus es sperantibus in te, nullusque speravit in te, & confusus est quocirca & ego Deus meus, in te confidam, & non erubescam: in te Domine sperabo, non confundar in aeternum, neque iridebunt me inimici mei; etenim universi qui te expectant non confundentur: nonne autem tu qui scrutaris corda & renes nosti Domine quia tu unica es expectatio mea! Expectans enim expecta vite Deus meus, cum Prophetâ tuo: & dixit ille quod intenderis ei: intende obsecro & mihi Pater mi, & benedictionem parvulam da filio prodigo tuo. Ego enim in misericordia tua speravi, sperantem autem in te misericordia tua circumdabit, & vivam jam non mihi, sed tibi, & confidam toto corde, cum mortuus sis pro me, cum millies te deleris mihi cum infinitis sincerè me plus ames quàm ego me, Deus meus pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.

PROTESTATIO MATVINA,

Adversus scrupulos & tentationes.

Profitetur coram te & curiâ tuâ Deus meus, coram Angelis & Sanctis tuis, quod tu eris mihi in Deum, & ego tibi in servum fidem usque ad extremum vita mea: tu enim Dominus & ego servus; tu Pater meus es, & ego indignus filius tuus: tu merces mea magna nimis: neque oculus vidit, neque auris audivit, nec in cor hominis descendit, quanta preparaveris mihi Et magna & plurima quidem sunt hæc, sed tu Creator meus, infinites mihi tu plus tu quàm dona tua: tu enim pars mea, & hæcuitas mea præclara es mihi. Propter te igitur peregrinus & advena, ibo & curram in viam mandatorum tuorum, quia dilatasti cor meum. Si quis insidiat hostis, si quis allatret, pelliciat, incantet, terreat & surrepat, tu eris timor meus, spes mea, & amor meus. Ego te elegi in Dominum, & abrenunciavi Satanâ, & adhesit tibi anima mea; & quis me separabit a charitate tua; quomodo te derelinquam omne bonum, & princeps sponte ruam in omne malum; quomodo te cetero charitas impunita! donec vivam non recedam ab innocentia meâ, neque ratum habebō quidquid tibi displicere potest neque haberi volo, nisi testes ipsum invocaverō cælum & terram, Beatissimam Virginem, & Angelos

Sanctos tuos, & creaturam omnem, & coram iis abnegauero te Deus meus, & elegero omne malum, pro te omni bono, amaritudinem pro dulcedine, odium tui pro amore, mortem denique & luctum aeternum pro sempiterna vita & gaudio in te & de te Deus meus & omnia.

Exercitium pro scrupuloso.

Dixi, confitebor tibi aduersum me iniustitiam meam Domine, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Dixi, & mox eructasti uerbum bonum, dicens remittuntur tibi peccata tua, quoniam rogasti me, quoniam dilexisti me. Et quis non diligat te o infinita bonitas? aperis enim mihi cataractas miserationum tuarum, & corrente misericordia inundasti & mundaſti me. Quid enim aliud facere potes Pater misericordiarum, cum certò sciam quod ab aeterno expectaueris me, & optaueris ut à regione longinquà reverterer ad te: cum triginta tribus annis in hoc loco horrois, & vasta solitudinis, quasi ueris me cum dolore & amore. Quid aliud facere potes, quàm penitentem amplecti prodigum? linumq; sumigans non extinguere; calamum quassatum non conterere? Quàm apprehendere manum meam & seruare me; educere me de conuisione uinctum, & de domo carceris sedentem in tenebris: sed unde hoc mihi, ut sciam quod miserus sis mei quod inuenerim gratiam coram oculis tuis? Hoc scio quod procul eram abs te, & alligarat me fortis armatus; & ecce subitò tu (neque enim alius potes) dirupisti uincula mea, ut uenirem sponte ad penitentia lauacrum, ut sacrificarem tibi cor contritum & hostiam laudis, iraxisti inquam me in funiculis Adæ, in funiculis charitatis, ut uenirem & currerem in odorem unguentorū tuorum. Quid est enim uenire ad te nisi deserere pristinā conuersationem, & amare te qui ab aeterno amasti me? Quid uero est amare te: nisi optare tibi omne bonum & numquam per peccatum alienum fuisse à te, paratum esse seruare omnia mandata tua, & omnes voluntates tuas: uili pedere terrena omnia, paratumq; etiam potius perdere omnia, quàm te offendere, libenter tecum loqui, teq; & uerbum tuum audire: hac per gratiam tuam cum sentiam, in te tuaq; gratiā & ex te esse me confido. Qui enim ex te est, o Deus meus uerba tuā audivit, eloquia tua dulciora super mel & saxum. An iam igitur quid loquaris in me, & noli me confundere o spes mea, & in te sperans non infirmabor. Nescio quidem amore an odio dignus sim, sed quis id nouit, cum Apostolus tuus etiam timeret ne cum aliu predicasset, ipse reprobus efficeretur? & quamuis millies confisus essem, fide tamen certus forem incertum esse me, & nescire an placeam tibi, neque hoc me angere debet, cum aeterna sis Sapientia, & aeterna bonitas. & sic incertos nos esse, quia id nobis uilius, uolueris, ac de tuā considera

Isaia 24.

Signa ueræ conuersionis & gratiæ Dei.

infinita charitate. Utinam illa diffundatur in corde meo; ut forma
mutat timorem, quem confessio & examinatio crebra auget, non
minuit, cum ex eo uno procedat. Iste obnebrat intellectum, me-
moriā confundit, voluntatem debilitat, atque ita miser despicit
scrutans scrutinio. Et cum cupiam peccata clarius agnoscere, in me-
moriāque ut confitear, revocare, eaque voluntate delectari, pra-
xietate hebescit mens, obscuratur memoria, voluntas infirmatur: et
igitur discrucior animi, & volvor in sordibus vitæ meæ: an ut tibi
placeam? at tu prohibes, & obedientiam mandas vicarius tuus di-
cens de iis; Qui vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit: an
ut quietem consequar & pacem? Quis verò restitit tibi & vicarius
tuus, & illam habuit? an ut eò perveniam, ut tandem iudicio meo
multi eoque examinem quietem velut justificatus sum in conspectu tuo, sed
dixisti quod non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: &
quod cùm omnia fecerimus, servi inutiles sumus. Et cerie non me
hucus, me ducem & arbitrum sequi eum, quem dedisti mihi? at nō re-
vit ille angustias meas: tu verò novisti bonitas infinita, & futurus ab
aeterno, & priusquam mandares, ut illi velut tibi parerem: neque
illas permittis nisi ut probes me, sicut aurū in fornace tribulationis,
& purges me, ut luceam tibi & hominibus, neque enim nefanda aut
etiam valde abominanda ab hoste suggesta mea sunt, neque macu-
lant me magis quàm quavis aliena scelera audita, vel visa; si-
nim zelo zelatus sum pro te, & puritatem dilexerim, mundans me,
meritumque eò magis augent, quo vehementius ex amore tui ea mihi
displicere sentio. At nescio an munere meo prudenter functus fuerim:
verū audio vetantem te, ne innitaris prudentia tua: & video cer-
tius esse nihil in re incertā, quàm humiliter potius alius acquirere,
quàm superbè sibi sapere, & iudicio suo confidere. dicat mihi, tunc
mens alia, quàm à medico, à ductore, ab Angelo à te misso (sic enim
vocasti Sacerdotem) audiam: quomodo igitur dubius hæreo tibi an
mihi obedire debeam? meo, an alieno in re meā iudicio (uti omnes
Sapientes suadent) confidere? obsecro te Domine, non intres in iudi-
cio cum servo tuo, neque enim respondere possum unum pro mille,
at tamen quamvis offenderim te, sperare me jubes de misericordiā, ni-
hilque gravius uliturus es, quàm si diffidam tibi, qui omnia fecisti pro-
pter me, & vixisti. & mortuus es pro me: ut considerem in te nūquid
potest mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio utri
sui? & si illa oblita fuerit, tu tamen oblivisci mei non potes, quia non
in justificationibus nostris prosterneimus preces nostras, sed in misera-
tionibus tuis multis. Adjuva nos Domine Deus noster, & propitius
gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris.
Amen.

Lucæ 10.

Psal. 142.

Prov. 23.

Isaïæ 49.

Dan. 9.